



1647, 9  
2  
1647  
9  
1  
I. N. D. N. 9. C.  
EXERCITATIO JURIDICA III.

De  
JURISDICTIONE,  
IN IUS VOCANDO,  
EDENDO; SATISDATIONIBUS; FE-  
RIIS & DILATIONIBUS.

Quam

*Suffragante Magnifico & Nobilissimo J. Ctorum*  
*Ordine in incluta LL. nutritice Salanæ*

PRÆSIDE

V I R O

*Nobilissimo, Consulissimo atq; Excellentissimo*

DN. GEORG-ADAMO Struben  
J. U. D. & Prof. Publ. Consiliario Saxonico,  
& Scabinatus Assessore gravissi-  
mo,

*Præceptore & Promotore*

*plurimum de & venerando*

Potiores ex ejusdem Publicis & Privatis Prælectionibus delibatas the-  
ses publicè ad Disputandum proponens suscipit

GEORGIUS Rönger / Haselbaco-  
Misnicus,

*In Audii. J. Ctorum*

D. XV. Maji Horis à VII. Matutinis

JENÆ Prelo LOBENSTEINIANO  
A. R. S. cl. l. c. XLVII.



VIRIS,

*Per Reverendo, Clarissimo, atq; Doctissimo*

**Dn. M. CHRISTOPHORO Richtern/**  
Symmystæ verbi Divini apud Eisenbergenses  
vigilantissimo, studiorum meorum Patrono & Nu-  
tritio ab ineunte ætate beneficen-  
tissimo:

Ut Et

*Spectatissimo, Eximio atq; Integerrimo*

**Dn. MICHAELI Richtern/ Civi & Mer-**  
catori in Nobilissimo illo Livoniæ Emporio, quod  
Rigæ est, solertissimo, Compatri & Hospiti quondam,  
ibidem loci, suavissimo:

**FRATRIBUS GERMANIS,**

Avunculis meis nunquam satis gratè colendis,

*Eorumq; ingentibus in me meosq; meritis*

Exercitium hoc

*eo, quò par est, gratis divini, affectu,*

consecratum mitto.

eundem, quo hætenus me prosequuntur, favo-  
rem ulterius, & ad plus ultra studiorum  
suppetias

*obsecrans & omninè implorans*

**GEORGIUS Rönker/**

104  
Quod jacet intactum tegitur rubigine ferrum,  
Et resonat usu trita, fit alba situ.  
Fertilis assiduo si non renovetur aratro,  
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.  
Sic etiam ingenium scabrâ rubigine torpet,  
Si non solerter perpetuoque colas.  
Excolis ingenium, fructus producet amœnos,  
Quis rectè Patriæ proderis atque Tibi.

Id Eximio adque doctissimo Dn. Kentz.ero publicè  
Disputanti apprecatur

Præses.

Ad Eruditissimum Dn. Georgium Rönghern de Jurisdi-  
ctione publicè disputaturum.

Quod non absq; plica sit Jurisdictio, clares.  
Jus tamen est simplex; quid plica juris habet?  
Composita est, illâ totius componitur orbis,  
quâ sine confusus, dissociatus erit.  
Expers est IN SE sacra Jurisdictio navi;  
quæ, si composita est, crimine sæpè scater.  
Differis hac de re Juris fortissime miles!  
certes! diâ parat digna hincbæta THEMIS,  
Non renuente Deo pugnes, feliciter ausus  
proficiet, præstò ac meta suavis erit.  
Vomere ut haut frustra proscindunt arva γεωργοί,  
si sua præstiterint cæpta juvante DEO!  
Sic sudore tuo lucrabere, Docte Georgi,  
premia, qua quæris, magna favente DEO!  
Dum tandem veteri NOCITUROS Jure repelles  
ipse GREGES, sic sic nomen ad astra feres.  
Ergò ego ubiq; decens ut Jurisdictio fiat,  
sicut eam, voveo, Jusq; Deusq; volunt.

Georgius  
Röngher/  
(K. in C.  
Z. in S.)  
Greges  
nocituros

Hac gratulabundus scribeb.

M. Tobias Gottwalt / Poët.

Laur. Cæs.

Vive-

Vivere virtutis iusto moderamine vitam ;  
lædere non ullum ; sua distribuisse cuique :  
Hæc sancti Juris vulgò præcepta vocantur.  
Quæ Legum Cultor memori si mente reponet,  
atque, quod illa volunt, in factis exprimet ipsis,  
illi succedent ex voto prospera quæque.  
Hæc eadem ante oculos semper Tibi, frater amande.  
pone, tuumque semel susceptò tramite cursum,  
huc refer, & Themidos cum jam sacra pulpita scandas,  
jus tribuens cunctis, ceu Jurisdictiō mandat,  
esto justitiæ semper jurisque sacerdos,  
& tandem tribuet justorum præmia Justus.

Hæc

*fausta acclamationis ergò*

Fratri & Contubernali suo

f.

Theophilus Röniger / Mith.



I. N. J.  
EXERCITATIO TERTIA.

De  
JURISDICTIONE; IN  
JUS VOCANDO; EDENDO; SA-  
TISDATIONIBUS; FERIS & DI-  
LATIONIBUS.

Ad D.L. l. 1. t. 9. & seqq. L. 1. t. 1. 2. 3. usq; ad l. 14. C. L. l. 1. 26. & seqq.  
L. II. t. 1. 2. 57. L. III. t. 3. 4. 11. 12. 13.

THESIS I.

**V**T Actiones Civium secundum  
jus & justitiam instituantur, & quisq; , quod  
sibi ratione juris Personarum vel Rerum  
competit, consequi possit, necesse est, ut in  
judiciis de rebus & factis hominum jus di-  
catur. De ratione igitur Jus dicendi & perfe-  
quendi suum in judiciis, secundum ordinem Edicti perpetui,  
quod omnia eo referebat; jam tractatio instituitur.

R. Geor-  
gio Rön-  
ger/Hafel-  
bacò. Mi-  
nicò, d.  
15. Maij.

II. Jurisdictionis vox, perinde ut jus dicere, & de  
causis civilibus & Criminalibus propria significatione verbi  
dici potest, arg. l. 2. §. 16. junct. §. 27. d. O. J. Rubr. junct. l. 3. h. t. atq;  
ita in civilem & criminalè rectè divideretur. Verùm in Legi-  
bus nostris Romanis Jurisdictio de Civilibus & privatis  
causis usurpatur. Potestas verò in Criminalibus causis jus di-  
cendi, à Majestate sibi reservata, Merum Imperium  
nominatur. Vid. Suibolt. eleg. Dissert. d. J. dict. apb. 96. & seqq. ad  
123. Jurisdictio verò in hac acceptione communiter notat  
eam, quæ jure magistratus competit: rarissimè verò extendi-  
tur hæc vox ad eas causas civiles, quæ specialiter committun-  
tur l. 8. §. 18. d. imm. fact. l. 1. h. t.

C III. Jurisdi-



III. Jurisdictio (in frequentiori & propria quoad LL. Romanas significatione) est potestas seu facultas legitima de civilibus & privatis causis jus reddendi, jure magistratus (seu eo ipso & solo, quo quis magistratus constitutus) competens *l. d. offic. ejus, cui mand. est. j. dicit. Conf. Sub d. l. aph. 173. & seqq.*

IV. Magistratus verò est, cui competit facultas de causis Civilibus & privatis jus reddendi, mandato muneri per se (sine speciali concessione) coharens. *arg. d. l. 1. & l. 6. §. 1. de tutel.* Illa igitur facultas ex ipso commisso munere, non ex speciali lege dependens *idiv. p. d. & c.* magistratum est, & magistratui, q. t. est magistratus seu quia est magistratus constitutus, competit. *Non obstat l. 2. §. 33. d. O. 7. junct. l. 2. d. Offic. Pres. Vig. l. f. §. f. ad L. Jul. d. ann.*

V. Pedanei iudices cum non sint magistratus, non Jurisdictionem, sed notionem habere dicuntur. *l. 5. pr. de re jud. l. f. C. ubi & ap. quem. rest. in integr. Non obstat l. 1. §. 6. d. postul. Nov. 32. c. 5. & t. C. d. j. dicit. om. jud.* Notio verò non nudam & solam cognitionem, sed etiam jus sententiæ sec. præscriptam formulâ ferendæ connotat. *Vid. Bach. th. 2. lit. a. b. i. l. 74. d. judic.*

VI. Sunt Magistratus alii Majores, qui imperium & potestatem habent. Alii Minores, qui sine imperio & potestate sunt. *l. 32. de injur. l. 2. d. in jus voc. l. 26. ad Municip.* Denotant verò hæc verba: Imperium & potestas: majorem & augustiorem autoritatem, & excellentiorem jubendi potestatem; atq; hæc denegatur minoribus magistratibus. *Add. Carol. Sigon. L. 3. antiq. jur. prov. c. 5.* Habet nim. Idictio suos gradus; in majori magistratu excellentior; in minori humilior: hinc quæ non sunt cujuslibet magistratus dicuntur magis esse imperii (*de prætoribus*) quàm jurisdictionis inferioris, quæ etiam magistratibus minoribus inest *d. l. 26. ad Municip. l. 12. §. 1. d. jud.*

VII. Notandum hinc circa magistratus *ex arg. l. 3. d. offic. Prat.* quod gesta à magistratu falso, modò aliàs legitime gesta, non sint infirmata. *Vid. Horom. Quest. Illustr. 17. Paul. Busius in d. l. 3.*

VIII. Quædam sunt causæ, quæ non jure magistratus competunt, adeoq; nec Jurisdictionis sunt; sed specialiter &



504

nominatim lege, Sæo, vel Constitutione Principum tribu-  
untur. *Vid. eleg. Magn. Dn. Franzk. b. r. n. 24.* Sunt autem tales  
vel purè & absolute; vel secundum Quid: Illæ semper ex spe-  
ciali concessione competunt, ut I. Tutoris datio, l. 6. §. 2. d.  
tut. l. 1. §. 1. de tut. dat. l. 19. eod. l. 3. qui pet. tut. Non obstat §. 4.  
d. Attil. Tut. l. pen. d. Offic. Proc. cognitio verò de suspecto tu-  
tore est Jurisdictionis, arg. l. 1. §. 3. & 4. d. susp. tut. Non obstat l.  
4. d. offic. ejus, l. 1. §. 11. ad Scim Turpill. II. Interpositio decreti  
in prædiis minorum alienandis, l. 1. l. 5. l. 9. l. 11. d. reb. eor. l. 2. §.  
1. d. offic. ejus. III. Arbitrium, an & quando transactio super  
alimentis relictis admitti debeat. l. 8. pr. l. 28. d. transact.

IX. Hæ, sc. secundum Quid tales, majoribus magistra-  
tibus competunt jure magistratus; minoribus verò & pro-  
vincialibus & municipalibus ex speciali concessione. Huc re-  
ferimus (I) potestatem dandi judicem pedaneum, l. 12. §. 1. d.  
Judic. vid. Surholt. Aphor. 164. (II) Legis actiones in specie ita  
didicis, i. e. actus voluntariæ Jurisdictionis l. 4. d. adopt. l. 2. l. 3. d.  
offic. Proc. l. 1. d. offic. jurid. Alex. vid. Scip. Gent. d. juris d. L. 1. c. 34.

X. In causis jure magistratus competentibus jus reddi-  
tur vel uni petenti decernendo; vel inter duos, eosq; vel liti-  
gantes aut non litigantes jus dicendo. Ad primum modum  
(1) datio bonorum possessionis, non ad mixtum imperium  
referenda. arg. l. 3. §. 3. d. bon. poss. l. 1. d. Judic. Non obstat l. 3. eod.  
(2) Missio in bonorù possessionem duobus casibus, quæ nim-  
is ex l. ult. C. d. edict. D. Adr. toll. & quando venter in bon. pos-  
sessionem mittitur l. 1. 2. d. ventr. in poss. mittend. Add. thes. 23.  
Non obstat l. 4. b. r.

XI. Jurisdictio inter duos non litigantes dicitur volu-  
taria, l. 2. d. offic. Proc. in qua sola voluntas duorum, actum  
celebrantium, regulariter sine causæ cognitione attenditur à  
magistratu. Hujusmodi actus sunt manûissio vindictæ, eman-  
cipatio, Adoptio l. 1. 2. d. Offic. Proc. l. 4. d. Adopt. l. 1. C. eod. Et hi  
in causa quoq; propria à judice expediri queunt l. 3. 4. d. Adop-  
tas. d. manum. vind. l. 77. d. judic. Non verò huc pertinet do-  
nationum insinutio. Dissent. Anton. d. Canar. r. d. insinuat. c. 1. n.  
24. Bach. Comment. h. r. divis. 2. n. 2. non apertio & publicatio  
testia

testamentorum; non confirmatio judicialis hypothecæ, Dissent. Matth. Coler. d. process. Exec. P. 1. c. 10. n. 201. Unde nec hi actus in propria causa à giudice rectè expediuntur, Vid. Dn. Carpov, L. 4. t. 4. Resp. 31. n. 19. Referri autem possunt ad priorem modum jus reddendi, ut is fiat vel decernendo vel autoritatem & confirmationem actui civili addendo. Legitimitas ad Jurisdictionem planè non spectat. Vid. Surholt. aph. 335. Diss. Anton. d. Rosell. L. 2. d. Legitimat. c. 1. n. 3. per l. fin. d. bis, qui sui vel at. jur. Bach. d. l. n. 4.

XII. Inter duos litigantes quæ exercetur Jurisdictio dicitur Contentiosa, quâ magistratus utriusq; partis jura perpendit, & causâ cognita jus dicit. l. 2. d. Offic. Proc. d. qua lege sit Surholt aph. 294. & seqq.

XIII. Constituitur magistratus, atq; ita Jdicio confertur, à Majestate Aristot. 4. Pol. 14. l. 3. C. b. t. Jus enim concedendi Jurisdictionem ad Architectonicam pertinet, exercere autem eam judiciariâ est prudentiæ. 6. Ethic. 6.

XIV. Exercet autem Jurisdictionem magistratus vel ipse, vel alii exercitium mandat, unde alia propria, alia mandata, vid. t. t. d. offic. ej. cui mand. jurisd. Propria est, quam quis suo jure habet. l. 5. d. jurisd. Mandata est, quam quis beneficio & concessione ejus, in quo proprio jure residet, exercet; Vel est exercitium non propriæ sed alienæ Jurisdictionis. d. l. 5. l. 1. s. 1. d. offic. ejus ibi: proprium nihil habet. eleg. rex. l. 16. d. Jurisd. Non obst. l. 4. eod. l. 13. d. offic. Proc. l. 1. S. 4. d. suspecti. tutor. vid. Surholt aphor. 347. & seqq.

XV. Mandari possunt ea, quæ competunt jure magistratus; Jurisdictio scilicet & quod huic cohareat mixtum imperium. l. 1. pr. S. ult. l. pen. S. 1. l. f. d. offic. ejus. Excipiuntur actus voluntariæ jurisdictionis l. 123. d. R. f. l. 2. & 3. d. offic. Proc. Quæ verò specialiter lege tribuuntur, ea mandari nequeunt, nec manda à jurisdictione transeunt, d. l. 1. d. offic. ejus. Add. Scip. Gent. 2. d. Jurisd. n. 14.

XVI. Non confundendus est judex pedaneus, (qui datus & delegatus vocatur jure civili l. un. C. qui pro sua Jurisd. t. t. C. d. jud. pedan.) cum hoc mandatario (qui delegatus jure

Ca-

Canon. appellatur *l. i. d. offic. de leg.*) Illi nuda notio, propria-  
 tamen, competit, *arg. l. i. pr. quis & à quo appell.* Hic verò uti-  
 tur jurisdictione, sed alienà; *l. 16. b. t. l. i. §. i. de Offic. ejus. & d. l.*  
*r. §. 2.* Judex igitur datus ad cognoscendum, non habet exe-  
 quendi potestatem *l. 55. d. re judic. l. 15. eod.* Cui verò mandata  
 Jurisdictio; etiam exsequendi jus habet, *arg. d. l. i. §. ult. l. f. d. Offic.*  
*ejus. l. 2. b. t.* Sed quæritur: an ad exsequendum datus, etiam  
 cognoscendi jus habet? *vid. Dissing. Mynsing. 3. obs. 69. Gentil.*  
*2. d. Jurisd. 32.*

XVII. Ei, cui mandata est Jurisdictio à magistratu,  
 assimilis est judex datus à Principe; quod nim. non notio-  
 nem nudam, sed jurisdictionem mandatam, h. e. concessum  
 exercitium Jurisdictionis à Principe habeat. *l. 5. C. d. judic.*  
*Confer. Donell. 17. Comment. 8. Perez. in d. r. n. 2.*

XIX. Qr. ad is qui mandata habet Idictionem sub-  
 delegare possit? *Dist. cum Du. Franzkio h. t. n. 38.* aut per  
 subdelegationem intelligitur Idictio ulterius demandata, &  
 subdelegationem non admittimus. Aut verò commissio solius  
 causæ seu litis significatur, & hæc ipsi competit: commit-  
 tere enim causam alii dijudicandam nihil aliud est, quàm  
 judicem dare, quæ licentia etiam mandatà Idictione utenti  
 conceditur. *l. 12. 7. d. de i. i. 173. 9. d. i. quæritur*

XIX. Privatorum consensus non quidem iudicem  
 facit eum, qui nulli præest iudicio. *l. 3. C. d. jurisd.* Jurisdicti-  
 onem tamen alicui publicè datam prorogare, sive eum com-  
 petentè iudicè, qui aliàs nõ erat, facere potest. *l. i. C. d. r. l. 18. D.*  
*eod. Perez. n. 15.* Unde quædam est Jurisdictio Prorogata. Hæc  
 non incommode dividitur *cum Bacho. ad Wesemb. n. 8. b. r. in.*  
 Spontaneam & Legalem. Illa propriè consensu fit aut expre-  
 sso, eoque aditione iudicis firmato. *d. l. 18. b. t. d. l. pen. C. d. part.*  
 aut tacito, qui intelligitur ex litis contestatione ejus, qui aliàs  
 forum declinare potest. *l. 4. C. b. r. nisi quis erraverit l. 15. b. t.*  
 Ante litis contestationem pœnitentiæ locus est. *Conf. Hillig.*  
*L. 17. c. 10. g. Bach. d. 3. ib. 12. b.* Fit autem prorogatio vel de  
 Persona ad personam, vel de re ad rem. Alios n. modos non  
 agnoscimus. *Vid. Bachov. rubr. d. Jurisd. n. 5. 6. Suihol. aph.*

574. Legalis & necessaria fit non tam consensu, quam lege ita disponente, ut, qui contra me in iudicio agit, cogatur etiam iudicem eundem contra se admittere, in quo est fundamentum reconventionis, l. 14. §. Aut. seq. C. de sent. & interloc. ubi vid. Siphanius & Perez.

XX. Quoniam verò Jurisdictio sapius in reluctantes & invitos exercetur. Ideo aliqua coercitione opus est, ut adversus refractarios effectum sortiarur. l. ult. d. offic. ejus. Quæ coercitio dicitur mixtum imperium, quia hoc genus imperij admixtum est jurisdictioni, & simul jure magistratus competit: merum autem Imperium plane separatum est & distinctum à Jurisdictione, atq; speciali lege defertur.

XXI. Est igitur Mixtum Imperium potestas coherens jurisdictioni, ad eam tuendam, & jus redditum exsequendum. l. 1. §. fin. d. offic. ejus, l. un. pr. si quis jus dic. Dicitur verò l. 3. h. r. Jurisdictio inesse mixto imperio eò sensu, quod hoc illam præsupponat. Magis propriè mixtum imperium dicitur inesse jurisdictioni, sc. ut aliqua potentia, s. virtus suo toti potestativo, se, quando opus est, exerens & jurisdictionem defendens. d. l. 1. §. f.

XXII. Competit igitur mixtum imperium omni magistratui, & majori & minori: ita tamen, ut nullus sit magistratus, quin habeat aliquam coercendi potestatem, licet non quilibet possit omnibus modis coercendi uti. confer. l. un. pr. si quis jus dic. l. 2. §. ult. d. judic. l. 5. C. de defens. civit. l. 4. h. r. I. l. 29. §. pen. l. 3. §. 1. de reb. cred. Vid. Sutholtz apb. 251. & seqq. Dissent. Duaren. in l. 12. h. r. Em. Merillius L. 1. variant. ex Cujac. c. 3. per l. 32. in fin. d. injur. d. l. 29. §. 7. ad l. Aquil. l. 4. §. 2. d. Lam. inf.

XXIII. Coercitiones autem illæ modicæ fiunt per remedia Prætoria, quæ tuendæ Jurisdictioni inserviunt; unde arcantur hinc animadversiones in criminalibus; item ea, quæ nudæ notionis expediendæ causâ à iudice pedaneo fiunt. Vid. Gent. d. l. c. 15.

XXIV. Illustriora ad mixtum Imperium, (Gerichtszwang.) pertinentia remedia sunt tria: multa dictio, pignoris capio, & corporis retentio s. prehensio, l. 9. §. f. ad L. Jul. pecul.

*et* His accensemus missionem in possessionem, scilicet si  
(1.) fiat iudicati exsequendi causa, *et* ex quib. caus. in poss. eatur.  
(2.) ejus, qui non obtemperavit, coercendi causa, ut in l. 4. §. 3.  
& 4. d. dam. infest. *et* ut in poss. leg. serv. Restitutionem in integrum malè huc referunt Dd. cum ea omninò sit Jurisdictionis. l. f. ubi & ap. quem. Non obs. l. 26. §. 1. ad Manicip.

XXV. Hæc de potestate jus reddendi, & redditum exsequendi in civilibus. Ad criminales causas spectat Merum Imperium, quod est potestas gladij (i. e. criminalis) ad animadvertendum in facinorosos l. 3. b. i. vel est potestas vindicandi crimina. l. 6. pr. d. offic. Proc. l. 70. d. R. 7. l. 6. d. Accus.

XXVI. Animadversio & vindicatio includit vel præsupponit cognitionem, & sententiæ pronunciationem super crimine: quippe quæ per se tendunt ad vindicationem; cum in civilib. executione per accidens opus sit.

XXVII. Hanc potestatem Majestas non transfert in magistratûs, ut illis vi officij competat, sed sibi soli reservat; ejus exercitium speciali lege quibusdâ tribuens. Unde hi non habent hoc jure proprio; adeoq; nec mandare possunt, l. i. d. offic. ejus l. un. §. 1. d. offic. Præf. Præf. Non obs. l. 6. pr. d. offic. Proc. l. 6. §. 8. d. offic. Præf. Conf. Hillig. 17. Comment. 8. li. Nn.

XXVIII. Modos vindicandi ad tria genera s. gradus revocamus, arg. l. 6. §. f. l. 7. l. 8. l. 28. d. pen. Gradus I. est pœnarum, quibus mors naturalis s. ultimum supplicium irrogatur. Ad II. pertinent, quæ à morte naturali proximæ, quando vel gravior coercitio corpori infligitur morti affinis, l. 3. C. d. serv. fugit. vel vita civilis adimitur, l. 2. l. 17. d. pen. quò hodie etiam pertinet Bannum Imperiale, Reichslicht. III. generis sunt coercitiones leviores, quæ sunt salvâ libertate & civitate, ut relegatio, l. 4. l. 7. §. 3. d. interd. & releg. l. 13. d. honor. poss. Eò etiam pertinet pœna infamiæ, dignitatis privatio, ac si alicujus privatio: s. suspensio, l. 28. pr. d. pen. l. 3. d. Senat. Non obs. l. 9. d. manum. vind.

XXIX. Sunt autem quædâ coercitiones mixto & merito imperio communes: ut pecuniaria, & iudicio criminali pu-

publico irrogetur, meri est imperii; fin jurisdictionis tuer-  
da causa, mixti. *Hillig. ad Donell. 17. Comment. 8. lit. 99.* Si-  
militer infamiae poena pertinere videtur ad mixtum, quando  
infigitur ex consequentia sententiae in civilibus, uti fit  
in actionibus tutela, & similibus. *l. 1. d. bis, qui not. infam. §. 1.*  
*J. d. pen. tem. litig.* Ad merum, quando in criminalibus dire-  
ctio aliquis per sententiam declaratur infamis. *Dn. Scotan.*  
*Disp. 12. thes. 10.*

XXIX. Hodierno usu vox Jurisdictionis ferè triplici-  
ter accipitur: (I) pro ipsa Majestate, vel specialiter illis juri-  
bus Majestatis, quae sunt de legibus statuendis & Magistrati-  
bus ordinandis. Et haec Jurisdictio respectu totius Imperii,  
ut una aliqua civitas considerati, est in Imperatore & Statib.  
conjunctim sumtis. Respectu verò particularium, quas Im-  
perium Romano-German, in se comprehendit, Rerum publ.  
est in singulis statib9 Imperii, ratione suorum territoriorum,  
in quibus analogam Majestati Imperatoriae potestatem ha-  
bent: quae vocatur in specie Superioritas seu Jurisdictio ter-  
ritorialis Landes-Höfliche hohe Obrigkeit; vel in Civit.  
Imperialibus Landes hohe Obrigkeit/ Landes Ober- vnd Herrlig-  
keit. Haec verò superioritas pessimè à quibusdam comparat  
Jurisdictioni, quae vi officii competiit Magistratibus Ro-  
manis, & inde merum Imperium hodie jure magistratus cõ-  
petere asserunt, cum tamen juri superioritatis, perinde ut ma-  
jestati apud Romanos, insit. *Vid. Knichen de sublim. territ. Jur.*  
*c. 1. n. 338. & seqq. Dn. Frantzk. h. t. n. 16. Suth aph. 403.*

XXX. Eò etiam referri potest Jurisdictio immedia-  
torum & liberalium Nobilium (der Freyen von Adel / der  
Reichs befreyeten Ritterschafft) licet non sint Status Imperii.  
*Vid. Georg. Mundius de muner. c. 2. n. 210. & seqq.*

XXXI. (II.) Specialius denotat illam Jurisdictionem  
quae Status Imperii rursus in suos subditos per investituram  
vel aliam concessionem jus reddendi, in civilibus & crimi-  
nalibus, potestatem non administratoriam, sed perpetuam  
& ad heredes transitoriam, ipsiq; territorio, castro s. feudo  
coherentem transferunt, (Germ. die Gerichte) *Ad. P. h. D.*  
*art.*

507

*art. 2. verb. Ihrer Güter wegen.* Quò spectat, potissimum, di-  
visio Jurisdictionis in Superiorem (Ober-Gerichte/Hals-Ge-  
richte/Reinliche-Gerichte;) & inferiorem (Erb-oder Nieder-  
Gerichte.) Videatur *Coler. d. proc. Exec. P. 2. c. 1. n. 137. & P. 4. c. 1. n. 68. Dn. Carpz. P. 3. Prax. crim. q. 109.* Et circa hoc genus Ju-  
risdictionis quaeritur an concessa Jurisdictione in genere, in-  
telligatur etiam concessa Jurisdictione Superior? Quod regula-  
riter negatur. Licet enim hodie Jurisdictionis vox aliquan-  
do comprehendat merum imperium, (quod ferè convenit  
cum Jurisdictione superiori;) ejus tamen manet distincta na-  
tura, ita ut de speciali etiam hujus concessione constare de-  
beat. Confer. *Sutholt. aph. 414.* Pertinet quoque ad hanc Ju-  
risdictionem patrimoniam, & superiorem & inferiorem,  
quod praescriptione acquiri possit. Confer. *Bach. Comment. h. t. p. 419. Dn. Scotan. Colleg. Jur. disp. 12. th. 12. & seqq.*

XXXII. (III) Jurisdictio significat de omnibus cau-  
sis civilibus, etiam iis, quae olim specialiter dicebantur con-  
cedi, sine distinctione magistratum, judicandi potestatem; ac,  
sicut apud Romanos, confertur constitutione magistra-  
tum: Et per hos etiam merum imperium exercetur, quod  
accuratè rem ponderando nec hodie ipsis magistratibus jure  
magistratus competit, sed ex speciali concessione. Confer. *Dn. Franz. h. t. n. 58. 59.* Unde etiam rectè defenditur, merum im-  
perium nec hodierna consuetudine mandari posse. *Sutholt  
aph. 406. Add P. H. D. art. 2.*

XXXIII. Explicatà Jurisdictione sequuntur nunc tria  
edicta, eò spectantia, ut partim autoritas jus dicentis defen-  
datur, partim ut ne iniquum jus dicatur vel impetretur. Ex  
primo Edicto est actio popularis, quae datur contra eum, qui  
dolo malo propositū perpetuae Jurisdictionis causā à Pretore  
in albo corrumpit, ad poenam 500. aureorū, applicandam actio-  
ri. *l. 7. d. Jurisd. add. Bach. in d. l. Quae fuerit aestimatio & pond-  
us aurei lege sis apud Georg. Agric. L. 2. de pond. & temp. mon.  
Covarruv. tract. de vet. num. c. 3.*

XXXIV. Secundum Edictum est: Quod quisque ju-  
ris in alterum statuerit, ipse eodem jure utatur. Ex quo dedu-  
ci-

D

ci-

estur hodie utilitate retortio juris iniqui, quam nos ex solidis-  
simis fundamentis adhibendam esse statuimus, in retorquendo  
illo tantum jure, quod à jure communi (Gemeinen Rechten/h. c.  
legibus Justinianicis, jure feudali communi, jure canonico  
recepto, Constitutionibus Imperii, & moribus generaliter  
in imperio obtinentibus) devium est, adeoque inæqualita-  
tem inter unius Reipubl. cives inducit. *N. A. zu Spenyer de*  
*Anno 1529, §. item als bissher.* Quod jus devium, Particulare  
scilicet, & Statutarium (Sonderfassung) respondet juri novo,  
quod aliàs in isto edicto, *l. 1. §. 1* requiritur. *Alb. d. Rosat. in l. 1. n.*  
*pr. h. t. n. 4. Phil. Decius ad d. l. n. p. n. 28. Vid. latissime Dissertatio*  
*in augural. Dn. Præsidis de vind. priv. t. h. f. 6175. & seqq.*

XXXV. Ex tertio edicto datur actio personalis præ-  
toria popularis, quæ datur magistratui, vel cuilibet de popu-  
lo, contra eum, qui extremum Jurisdictionis, hoc est execu-  
torialia contemnit ad multam seu poenam pecuniariam.  
*l. un. si quis jus dic. non obt. ubi vid. Dn. Frantz. & Bachs.*

XXXVI. Ut jus reddatur, opus est primum  
in jus vocatione, quâ denunciatur adversario, ut se-  
sistat coram magistratu de re certa cum eo experiundi causâ.  
*h. i. d. in jus voc.*

XXXVII. Et quidem olim ipsimet acturo potestas  
erat adversarium suum in jus, vocandi: qui nisi confessim-  
iret, aut vadimonium promitteret, i. e. satisfacere judicio si-  
sti, in vitus obtorto collò in jus duci & trahi poterat. *l. 5. in fin.*  
*qui satisd. cog. ex domo tamen suâ nemo extrahi debebat, l. 1. §.*  
*h. 21. h. c.* Vocabatur autem ita in jus, h. e. ad ipsum magistra-  
tum pro tribunali sedentem; vocatus deinde à judice dato  
ad judicium citari dicebatur.

XXXIIX. Hodie sublato juris & judicii discrimine  
inter vocationem in jus & citationem nulla est differentia,  
& expeditur ab ipso magistratu, violentâ illâ & privatâ voca-  
tione abolita. Nihilominus tamen nec hodie parentes, con-  
juges, & aliæ personæ, quibus propria & singularis reveren-  
tia ex causa naturalis conjunctionis aut insignis beneficii ac-  
cepti, (ut est Dominus Feudi) præstanda est. *h. 4. l. 5. h. 13. h. 1. l. 3.*  
*G. 602.*



*C. eod.* indistinctè citantur; sed attendere debet iudex, ne fiat citatio, ex qua Parentum fama suggillaretur *l. 10, §. 12. h. r.* Specialis tamen illa veniæ impetratio viderur ferè ab usu recessisse, modestè tamen & reverenter citationem adhuc impetrandam, ipsum jus naturæ dicat. *Add. Dn. Carpz. P. I. c. 2. def. 26. Mynsing. 4. obs. 92. Gail. d. pignor. c. 15. n. 4. Hillig. d. 23. Comment. 2. 2.* Præterea magistratus nostri etiam durante officio in jus vocari possunt. *Umm. D. 5. tb. 7. n. 37.*

XXXIX. Citatio est actus judicialis, quo reus iudicis auctoritate & mandato suscipiendi iudicii causa citatur.

XL. Est autem hæc omnium instituendarum actionum principium. *S. ult. d. pæn. tem. litig. Non obs. l. 1. §. Aut. h. offenditur C. d. lit. contest. & ad essentiam Processus seu ordinis iudicarii pertinet. Hinc rectè statuitur, quod nec in notoriis omitti possit. Vid. Bachov. comm. h. r. rubr. d. citat. n. 6. nec regulariter Princeps de plenitudine potestatis eam præterire queat. Vid. Cravett. conf. §. n. 3. L. 1. Mynsing. 6. obs. 6.* Sed quid si jam præsens sit reus, an, licet non præcesserit citatio, tenebitur respondere? Non teneri dicimus *cum Wesenb. h. r. Scotan. Disp. 13. thes. 19. arg. l. 2. §. 3. d. iudic.* nisi sit causa leviuscula; aut nuda præsentia requiratur, & nulla responsio. *N. 53. c. 3.* Ipsa tamen ita præsentia facta à iudice denunciatio pro citatione haberi potest. *Peritz. b. r. n. 8.*

XLI. In jus vocatio seu citatio duabus constat partibus (I.) conceptione, in qua requiritur, ut exprimaturnomen tum iudicis. *arg. l. 80. d. iudic.* tum partium litigantium actoris (secus si iudex ex officio procedat) & rei. *Vid. Frider. Hiltropius Proc. iudic. P. 2. t. 1. n. 1. §. seqq.* Item causa; nec citatus ad certam causam, ad aliam respondere tenetur. *l. 2. §. 3. in fin. d. iudic.* Continere denique debet locum & diem. *Vid. Hiltrop. d. l. n. 26. n. 32.* (II.) Executione, quæ expeditur commissione iudicis, insinuatione, & relatione de insinuata citatione. *Vid. Hiltrop. d. l. tit. de Exec. civ. Umm. d. D. thes. 11. Carerum latinus consule de citationib. Besold. Disp. d. proc. 2. iudic. 4.*

**XLII.** In jus vocatus aut ire, aut satisfacere debet, *i. f. quis in jus voc. & i. in jus voc.* Si non eat, (præter poenam contumacia, de qua lege sis late Hilrop. d. P. tit. 7. quæ jus partis concernit.) sec. jurisdictionem judicis, quam contemnit, multa afficietur, l. 2. §. 1. *f. quis in jus voc.* Sed quid, si iudex fuerit incompetens? Disting. aut notoria est incompetentiæ judicis, & impune non paretur l. f. d. *Jurisdic.* aut dubitari potest, an Jurisdictio in vocatum fundata sit nec ne; & comparere debet, ut iudex cognoscat, an sua sit jurisdictio. l. 2. pr. *f. quis in jus voc.* Busius in l. f. d. *Judic.* Dn. Franz. b. t.

**XLIII.** Ne in jus vocatus vi eximatur, datur actio in factum poenalis (ex delicto eximentis) quæ datur ei, qui vocavit in jus, contra eum, qui exemit, ad id, quod interest vocantis, *i. t. ne quis eum, qui in jus voc. & c.* Actor æstimat interesse (quod hic poena est l. 5. §. 3. *b. t.*) juramento in litem l. 5. §. 1. *b. t.* ubi gl. Confer Hen. Hammel. d. *actio. c. 33.* Dissent. seipsum refutans Bachov. *comm. in d. l. 5. §. 1.* Qui verò contra edictum de in jus vocando vocatus est, ille vi eximipoteest; & ita injusta vocatio privatâ vi repellitur. l. 1. §. f. *b. t. Non obst. l. 4. §. 1. eod.*

**XLIV.** Porro, ne judicia fiant elusoria, opus est Cautione, quæ est actus, quò idoneè de lite cavetur, & adversarius securus redditur de eo, quod in iudicium venit, ut in quemlibet iudicii eventum litigantes habeant, unde consequi possint id, quod ipsis deberi pronuntiabitur. l. 1. *quis satisd. cog.*

**XLV.** Tribus autem modis cavetur, *arg. rubr. b. t. vel* (1.) Satisfactione propriè dictâ, quæ regulariter exigitur; & fieri debet fidejussoribus. l. 1. d. i. l. 7. d. *prator. stipular. l. 3. §. 2. d. fideic. liberi. l. 1. §. 9. d. Collat. Nov 53. c. 2. c. 3. §. 2. N. 112. c. 2. Non obst. l. 59. §. f. mandat. l. 1. §. 9. d. Collat. l. 25. d. R. 7. l. 21. §. f. d. constit. pecun. Vid. Dn. Frantz. b. t. n. 13. & seqq.* Modis tamen obtinet, ut inarbitrio sit actoris, utrum fidejussoribus an pignoribus cavere velit. Busius in d. l. 1. Me noch d. *arb. jud. quest. c. 42. n. 3. Gail. d. arrest. c. 3. n. 4. Add. Ant. Fabrii C. L. 2. r. 36. def. u.*

**XLVI.**

**XLVI.** Vel (2.) Jurata promissione, quam præstant Viri illustres, dignitateque præfulgentes. *l. 17. pr. d. dignit. quod tamen hodie non observari tradit Treutler. h. t. thes. 2. b. cum alleg.* Cæterum alii ob paupertatem, & ex necessitate ad juratoriam cautionem admittuntur, si vitæ integritate conspicui, & non suspecti de fugâ: ac jurent, se nec pignora habere, nec fidejussores, summâ licet diligentia adhibita, reperire potuisse. *Aut generaliter C. d. episc. & cleric. N. 112. c. 2. N. 134. c. 9. Conf. Ant. Fabr. in C. L. 2. t. 36. def. 9. & 8. Gail. i. observ. 148. n. 6. 7.*

**XLVII.** Vel (3.) Nudæ promissioni committuntur, scil. qui res immobiles in territorio, ubi litigaturi sunt, possident. *l. 15. h. t. Add. Carpz. P. 1. c. 5. def. 2. & 3.* Non autem requiritur, ut specialiter bona oppignorentur, multò minus, ut præstetur juratoria cautio, *arg. d. l. 15. l. 1. §. 5. d. præst. stip. Non obst. l. f. C. d. princ. ag. in reb. l. 7. in f. ut legat. vel fideic. serv. caus. l. ult. §. 3. C. d. admin. tut. Diss. Scot. D. 13. thes. 22. per §. 4. J. d. Satisdat.* Dicuntur autem hic possessores rerum immobilium directi utilesvè rerum domini; quibus æquiparantur actiones ad res comparatas habentes: it. qui annuos redditus, aut res mobiles, quæ non facillè amoveri queunt, possident, ut merces in tabernis. *Conf. Dn. Carpz. d. P. 1. c. 5. def. 16. & seqq. Max. ad jus Lub. L. 3. t. 5. art. 5.*

**XLIIII.** Hodie actor cavet de expensis refundendis, in casum, quò non reportaverit victoriam. (jute Saxon. etiam guarandam præstare cogitur. *Vid. Dn. Carpz. P. 1. c. 4. def. 1. & seqq.*) Reus cavet judicio sisti, h. e. se ad finem usque in lite per manurum, & sententia ferenda ad futurum. *Vid. laud. Hil. 1207. d. P. 2. tit. 30. §. 22.*

**XLIX.** Excusant à sistendi necessitate, ac tempus ad sistendum concedunt Feriæ ac Dilationes. Feriæ ut h. d. considerantur, sunt dies à judicialibus actibus vacui. *l. 5. d. fer. quibus opponuntur dies Juridici, l. d. C. eod.*

**L.** Ratione effectuum Juridicorum distinguimus inter divinas, h. e. divino cultui destinatas, & humanas, h. e. propter utilitatem & occupationem hominum statutas, scil.



vel propter agriculturam, ut dies messum & vindemiarum. *l. 1. b. t. l. 2. l. 4. C. eod.* vel mercaturam, ut feriæ nundinales. *l. un. C. d. nund. Add. Umm, D. 7. thes. 7. n. 35. Dn. Carpov. in P. 1. c. 3.* Divinas dividimus in ordinarias, ad quas referimus diem dominicum. *l. 2. l. 7. d. n. C. b. t. & festa solennia, ut festum Paschatos, Pentecostes, Nativitatis Christi. l. 6. l. 7. C. eod.* quibus etiam accensemus festa in memoriam Apostolorum ad cultum divinum instituta. *Conf. Rud. Hospinianus tr. d. orig. festor. Christian. Didac. Covarruv. 4. variar. resol. 19. Anton. Fern. de Moure, Exam. Theol. mor. P. 1. c. 1. §. 1. n. 3.* Et extraordinarias, quibus Deus ob beneficium aliquod noviter exhibitum colitur; quod spectat celebratio Natalis Principis; It. anni Jubilæi, e. g. Academiarum: nec non huc pertinent feriæ ob res prosperè gestas indictæ, quas repentinas vocant. *l. 3. C. d. dilat.*

LI. In divinis ordinariis & extraordinariis feriis actus judiciarius si expeditur est ipso jure nullus: adeò ut nec Princeps (cum primis quod ordinarias attinet) dispensare possit. *Vid. Covarruv. d. l. n. 4.* At verò humanis feriis à litigantibus consentiente iudice renunciari potest. *l. 1. §. 1. b. t. l. 36. d. arbit. Excipere Dd. solent transactiones, quod hæ etiam ordinariis feriis iniri possint. per l. ult. C. b. t. quod non ita simpliciter asserendum existimamus; sicut nec quosvis actus voluntariæ jurisdictionis iis expediti posse admittimus. vid. l. 2. §. 8. C. b. t.*

LII. Institutio feriarum est majestatis. *l. 4. C. b. t.* unde facultas ferias indicendi, vel etiam mutationem circa dies prius ipsis destinatas inducendi, rectè denegatur Pontifici, quam cum in Calendarii novi obtrusione sibi sumere vellet, non immeritò à nostratibus id non admissum. Hic commodè quæri potest, anne simpliciter ferenda illa sententia, quod iudex ferias eò modò, quò ipse servat, attendere debeat? Nos cum Dn. Frantz. *b. t. n. 27.* statuimus: si actor & reus diversarum, permissarum tamen in Imperio nostro, sit religionum, & inde diversis diebus colant ferias; utriusq; feriæ esse in præfigendis terminis attendendas.

LIII.

**LIII.** Dilatio est assignatio certi termini cum iusto temporis intervallo facta. Si assignatus terminus, nondum elapsus, extenditur ad alium datū rursus intervallō, in specie Prorogatio dicitur. *l. 5. d. precar. l. 24. §. 1. rem rat. hab. Vid. Umm. D. 7. Hiltrop. d. P. 2. tit. 35. & d. l. 8. h. t. Busius comment. in Dig. in d. l.*

**LIV.** Pertinet etiam ad initia iudiciorum **Actio- nis & instrumentorum editio.** Actio iure novo Justiniani editur per libellū, qui petitionē actoris seu ejus causam & jus complectatur, reo offerendū. *Aut h. offeratur C. d. tit. Conf. N. 53. c. 3.* Forma libelli essentialis tribus absolvitur (1.) causā seu mediū concludendi (2.) facti, quod narratur, vel rei, quę petitur speciali significatione (secus tamen in causis universi. general. & alternat.) & (3.) petitione seu conclusionē, *Conf. Hillig. ad Donell. L. 23. c. 4. 2. 7. 8.*

**LV.** Nomen actionis ut in libello exprimitur neque de Jure Canon. *arg. c. 6. d. judic. c. f. d. libell. oblat.* neque de Jure Civ. *l. 3. C. b. t. arg. l. 1. D. eod.* necessarium est. *Non obstat. l. 1. 2. 3. d. prescript. verb. l. f. C. d. interd. l. 33. d. judic.* Sustineri etiam debet libellus, licet inepta actio sit nominata, modō res ipsa satis bene sit exposita. *arg. §. 29. d. legat. l. 9. §. 2. d. serv. insit. Dn. Scot. D. 13. thes. 25.*

**XLI.** Quod si Actor in actionis editione erraverit, quæritur; an libellum mutare possit? Distinguentium videtur secundum jus civile, an error sit in Accidentalibus an verō in Substantialibus. Si in accidentalibus, emendatio libelli permittitur usque ad sententiam; licet usque obscuritatem & incertitudinem corrigere potest actor. *l. 66. d. judic.* Similiter adjectiva qualitas actionis mutatur. *l. 4. §. f. d. nominal. action.* Huc etiam pertinet, quod in universalibus & generalibus judiciis liceat aliquid quodcumque adjicere rebus, e. g. hereditariis ante expressis: hic enim universitas, non singulæ res spectantur. *Dn. Carpov. P. 1. c. 11. def. 13. Hiltrop. d. P. 2. tit. 9. n. 8.* Sin verō error sit in Substantialibus nimirum circa rem petitam, & causam petendi, mutationem tantum ad litem contestationem permissam dicunt.

cunt. *arg. l. 23. § l. 35. d. judic.* Videtur tamen actori concedendum, ut, refulis expensis, novum iudicium contra reum, mutato libello, instituat. *l. 3. C. h. t. § 35. f. d. action.* in quo §. idem iudicium, dicitur ideo, quod in locum prioris, in quo nulla condemnatio secuta, quasi surrogatio fiat. *Bufius in l. 1. b. t. n. 29. § seqq. Bachov. ad Wesenb. b. t. n. 9. Hil- trop. d. l. rubr. d. lib. mut. n. 2.*

**LVII.** Instrumenta tenetur Actor edere reo non solum illa, quibus est, contra reum usus, sed etiam, quae reo ad excipiendum prosunt. *l. 3. §. 1. l. 5. C. h. t. adeo, ut & rationes publicae sint exhibenda, l. 6. C. h. Dn. Carpz. P. 1 c. 17. def. 26. Bach. b. t. n. 6. Diff. Donell. & Hillig. Lib. 23 c. 6. per l. 1. § 3. b. t.*

**LIX.** Reus verò in actoris commodum regulariter instrumenta edere non cogitur. *l. 4. l. ult. C. h. t.* Unde nec iudex de Syndicatu conventus acta judicialia contra se edere tenetur. *Berlich. P. 1. dec. 56.* Pro Replica tamen actoris fundanda, edenda sunt actori à reo instrumenta: *arg. d. l. f.* actor enim in replicando habet se ut reus. *l. 1. d. except. Perez. b. t. n. 11. Diff. Donell. in d. l. ult.*

**LIX.** Præterea is, apud quem res agitur, acta publica tam civilia, quam criminalia exhiberi inspicienda ad investigandam veritatis fidem iubebit. *l. 2. C. h. t.* Quin etiam omnibus iis, quibus sententia in eo iudicio præiudicium allata est, ut legatariis, cum de testamento agitur, & similibus, Actorum exemplum seu copiam decernet, manente autem sententio penes actuarium. *Perez. in d. r. C. n. 12. Conf.*

*Sigism. Scaccias L. 1. d. judic. c. 100. n. 4.*

*§ seqq.*


ULB Halle  
003 260 119

3



*WOM*









398

1647, 9

2.  
27.  
9  
/

I. N. D. N. J. C.  
EXERCITATIO JURIDICA III.

De  
**JURISDICTIONE,**  
**IN IUS VOCANDO,**  
EDENDO; SATISDATIONIBUS; FE-  
RIIS & DILATIONIBUS.

Quam  
*Suffragante Magnifico & Nobilissimo J. Ctorum*  
*Ordine in inclusa LL. nurrice Salana*

(4)

PRÆSIDE  
**V I R O**  
*Nobilissimo, Consulissimo atq; Excellentissimo*  
**DN. GEORG-ADAMO Struben**  
J. U. D. & Prof. Publ. Consiliario Saxonico,  
& Scabinatus Assessor gravissi-  
mo,

*Præceptore & Promotore*  
*plurimum deGenerando*  
Potiores ex eisdem Publicis & Privatis Praelectionibus delibatas the-  
ses publicæ ad Disputandum proponens suscipit

**GEORGIUS Köhler/ Haselbaco-**  
Mihnicus,  
*In Audit. J. Ctorum*  
D. XV. Maji Horis à VII. Matutinis

JENÆ Prelo LOBENSTEINIANO  
A. R. S. cl. l. c. XLVII,